

Novotný, František

Praefatio

In: Novotný, František. *Platonis epistulae commentariis illustratae*.
Brno: Filosofická fakulta s podporou Ministerstva školství a národní
osvěty, 1930, pp. iii-vii

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/118755>

Access Date: 16. 02. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University
provides access to digitized documents strictly for personal use, unless
otherwise specified.

PRAEFATIO.

Tredecim epistulas, quae inter Platonis opera continentur, quin veteres minime a ceteris philosophi scriptis separandas esse censuerint, dubium esse non videtur. Iam si codices manuscriptos spectamus, eadem qua Leges apparet eas servatas esse auctoritate. Accedit quod epistulae, quae in codicibus manuscriptis leguntur, eadem iam Thrasylo Platonis scripta ordinanti notae erant atque ab eo locum quem hodie habent quartum in tetralogia nona obtinuerunt; cuius rei testis est Diogenes Laert. 3, 60 sq. τῆς ἐνάτης (τετραλογίας) ἡγρεῖται Μίνως . . . Νόμοι . . . Ἐπινομίς . . . Ἐπιστολαὶ τρεισκαίδεκα, ἡθικά . . . πρὸς Ἀριστόδημον μία, πρὸς Ἀρχύταν δύο, πρὸς Διονύσιον τέτταρες, πρὸς Ἐρμίαν καὶ Ἐραστον καὶ Κορίσκον μία, πρὸς Λεωδάμαντα μία, πρὸς Δίωνα μία, πρὸς Περδίκκην μία, πρὸς τοὺς Δίωνος οἰκελοὺς δύο. Quod Diogenes epistulam ad Aristodemum scriptam nominat, cum in codicibus manuscriptis nomen viri Aristodorus tradatur, haud magni esse momenti inter omnes constat. Quin etiam vetustior est epistularum memoria; quod ostendit Diogenes, cum ib. 61 commemorat a nonnullis, quorum et Aristophanes fuerit grammaticus, Platonis scripta in trilogias dividi: quintam trilogiam esse Critonem Phaedonem Epistulas. Quo testimonio confirmatum videtur esse iam III. a. Ch. n. saeculo Epistulas corporis operum Platoniorum fuisse partem; quot et quae ab Aristophane lectae atque receptae essent, memoriae proditum non est.

Ne id quidem cognitum habemus, quando et a quo Epistulae collectae sint. Cur id factum sit dum explanare studet Otto Immisch, Philologus 72, 1913, 1—41, iudicat Epistulas esse in unum corpus compositas atque editas, ut quod Plato Leg. 5, 739 e de tertia politica (τρίτῃ πολιτείᾳ) promisisset, effectum esse videretur: Platonis philosophiae ad rem publicam pertinenti Epistulas tamquam cumulum esse additas. At neminem esse credo quin videat Epistulis illi

promisso parum apte satisfieri epistulamque primam esse pessimum illius tertiae politicae initium.

Plurimi inveniuntur apud veteres scriptores loci, quibus Epistularum mentio fit atque earum sententiae Platonis nomine addito laudantur. Qua in re gravissima est auctoritas Ciceronis, Dionysii Halicarnassei, Plutarchi. Grammatici sane de Epistulis interdum dubitabant, quippe quibus Platonis scripta in litterarum genera digerentibus Epistulae neque ad dialogos — prae forma — neque ad epistulare genus — prae argumento atque nimia praesertim septimae epistulae longitudine — adnumerari posse viderentur; v. Dion. Hal. Dem. 23 δημηγορία οὐδεμία (sc. ἐστὶ Πλάτωνος) πλὴν εἴ τις ἄρα τὰς Ἐπιστολάς βούλεται δημηγορίας καλεῖν, auct. Περί ἔρμην. 228 τὸ δὲ μέγεθος συνεστάλω τῆς ἐπιστολῆς, ὥσπερ καὶ ἡ λέξις. αἱ δὲ ἄγαν μακροὶ καὶ προσέτι κατὰ τὴν ἔρμηνειαν ὀγκωδέστεραι οὐ μὰ τὴν ἀλήθειαν ἐπιστολαὶ γένοιτο ἂν, ἀλλὰ συγγράμματα τὸ χαίρειν ἔχοντα προσγεγραμμένον, καθάπερ τῶν Πλάτωνος πολλὰ καὶ ἡ Θουκυδίδου. Non aliter iudicanda est opinio Procli, quae commemoratur in Prolegomenis ad Platonis philosophiam c. 26 (Appendix Plat. Herm. p. 219): ἐκβάλλει δὲ καὶ τὰς Πολιτείας διὰ τὸ πολλοὺς εἶναι λόγους καὶ μὴ διαλογικῶς γεγράφθαι, καὶ τοὺς Νόμους δὲ διὰ τὸ αὐτὸ, καὶ τὰς Ἐπιστολάς δ' ἐκβάλλει διὰ τὸ ἀπλοῦν τῆς φράσεως; quo loco verbo »abicit« (ἐκβάλλει) ordinantis et docentis, non de Platonica origine dubitantis iudicium designari apparet, praesertim cum Proclus aliis locis Epistulas tamquam Platonis scripta commemoret, velut secundam In Tim. 108 c et 119 f, septimam In Tim. 92 e. Quin etiam fuerunt qui ab Epistulis Platonis studium incipi vellent, v. Albini Isag. 4 (Appendix Plat. Herm. p. 149).

Atqui unum exstat vestigium, ex quo iudicare liceat Epistularum si non plures at unam tamen in suspicionem venisse: nota ἀντιλέγεται ὡς οὐ Πλάτωνος epistulae duodecimae aut in calce, ut in codicibus A O Z, aut initio, ut O² V, adscripta. Qua de causa haec epistula in dubium vocata esse videatur infra explicare conabimur. Ceterum quo tempore et a quo epistula hoc modo notata sit, cum pro certo dici nequeat, parum illa nota confirmatur eorum iudicium, qui existimant iam inter veteres grammaticos fuisse qui ex epistularum numero unam eximerent.

A veterum Epistulas tractandi ratione prorsus recessum est saeculo p. Ch. n. undevicesimo, postquam Phalaridis epistularum fraude a Bentleio ingeniose detecta criticorum studium omnes sub antiquorum scriptorum nominibus servatas epistulas tamquam arenam sibi delegit in qua se exerceret. Non esse meum existimo perscribere, quo modo et a quibus epistulae Platonicae initio a Meinersio a. 1782 facto et impugnatae et defensae sint, cum eam rem et alii satis exposuerint et ego in ephemeride Listy filologické 33, 1906, p. 194—204 in brevi posuerim conspectu. In quo virorum doctorum certamine quamquam negari non potest plurimos Epistularum locos acribus iudicii subiectos multo cum usu explanatos atque illustratos esse, tamen hoc erat Epistulis damnosum quod cum cetera Platonis scripta accuratissimis commentariis instruerentur, Epistulae in suspicionem omnibus adductae neglegi posse videbantur. Ipsa rei natura factum est, ut suspicionum effectus novarum suspicionum origo atque causa existeret, dum ea facillime suspiciuntur quae minime intelleguntur. Quae cum ita sint, neque accusatione neque defensione tantopere indigere Epistulas censeo quam ut diligenti studio cum aequitate quadam adhibito percenseantur atque illustrentur. Quod ita fieri posse existimo, si omni dubitatione de earum auctore deposita eas eadem mento qua dialogos legimus legere et explicare audemus. Hoc posito cum ad opus aggressi essemus, satis profecisse videmur, si nihil absurdi, nihil quod a Platone abhorreat iis inesse demonstravimus, excepta ut infra ostenditur epistula prima.

Platonem ex Platone intellegere cum nobis proposuerimus, dialogos eo spectamus modo, ut si quae similia in dialogis legantur, ea ad epistulae locum de quo agitur explicandum conferre nonnumquam satis habeamus. Erunt profecto quibus in hac re iustum excessisse modum videar, cum interdum etiam talia explicare aliisque Platonis locis confirmare me non piguerit, quae aliorum quidem iudicio planissima sint atque usitatissima. At non fecissem, nisi scirem rarum vel nullum esse in his epistulis locum, qui non adhibitus esset ad demonstrandum epistulas sive ob rem sive ob dicendi genus Platonis esse non posse.

Quamquam vix ullum nobis persuasimus restare Epistularum locum, cuius dicendi genus aliquo modo e Platonis dialogis explanari

nequeat, tamen multum abest ut demonstrare studeamus epistulas a Platone pari arte ac diligentia esse scriptas qua dialogos: singula comparari possunt, at summa rerum quibus epistulae ab usitato dicendi et componendi genere abhorrent subducta proprium quiddam habet et vere ἐπιστολικόν.

Quoniam epistularum alia aliam ob causam aliaque ratione scripta aliud habet propositum aliasque continet res, idoneum conveniensque nobis videbatur unicuique propriam praeponere praefationem, in qua cur ad quem quando scripta sit exponimus et ubi utile censemus, quo modo sit disposita paucis comprehendimus. Quae in epistulis de Platonis vita atque philosophia et de rebus in Sicilia gestis leguntur, ea electa comparata in unum coniuncta perscribere in hoc opere meum esse non puto; quantopere hoc Epistularum studium ad historiam scribendam Platonisque et philosophiam et vitam illustrandam afferat, iam antea a nobis demonstratum est libello lingua Bohemica composito qui inscribitur »Platonovy Listy a Platon« (De Platonis Epistulis et Platone, Opera facultatis philosophicae universitatis Masarykianae Brunensis, fasc. 18, 1926). Videlicet non ideo commentaria proemiaque nostra scripsimus, ut ea in epistularum ipsarum locum substitueremus, sed quibus epistulae supplerentur atque illustrarentur.

Ordinem Epistularum eundem servamus, qui in codicibus manuscriptis adhibetur. Quem re vera nullum esse ordinem primo quasi aspectu videas, cum Epistulae neque secundum temporum rationem neque ita, ut ad quem unaquaeque scripta sit respiciatur, sint collocatae. Quo facilius rerum gestarum et Epistularum tempora oculis animoque perlustrari possint, tabulam adiunximus, in qua omnia quae ad Epistulas pertinent servato temporis ordine commemorata sunt.

De Epistularum textu in hoc libro commentariis adiungendo diu dubitavi, dum non sum nescius me ad eum recognoscendum post Ioannem Burnet et Iosephum Souilhé pauca conferre posse. Tamen ut lectorum commoditati inservirem, ex editione Burnetiana eum describendum curavi; quod ut facere possem, ii qui Bibliothecae Clarendoniana Oxoniensi praesunt benigne permiserunt, pro qua re iis gratias ago maximas. Apparatum qui dicitur criticum omisi; ubicumque a lectionibus Burnetianis recessi, et in annotationibus

commemoro et omnes de quibus agitur locos in unum conspectum collatos ante oculos pono.

In epistulis explicandis multa me iis qui ante me ei rei operam dederunt debere, etsi omnia eorum probare non potuerim, grato profiteor animo; pariter me non paenitebit, si hic liber iis qui post me easdem res tractabunt aliquem usum afferre posse videatur.

Gratias ago maximas collegae meo Brunensi atque amico Carolo Svoboda, qui non solum typographorum opus recte peragendum mecum curabat, sed etiam aliquot locis quaedam a me ipso parum accurate scripta sua correxit diligentia.

Cum ante hos quinque fere et viginti annos commentationem composui, qua stilometriae quae dicitur via ac ratione usus Epistulas a Platone esse scriptas probare sum conatus, prae communi quod tum de iis erat iudicio inconsulta visa est audacia. Quam ob rem mihi huius iudicii mutationem consideranti haud contemnenda videtur esse philologorum opera, qua in perpetuum, ut credo, quod est Platonis Platoni est restitutum.
